



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Consideratus antiquus Ecclesiæ status ostendit, nihil nunc noui nos
pati, de quo tamquam injusto conqueri possimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

& velut oleo caminum tribulationis accendunt. Dignus est plagis multis, qui alijs multas imprecatus est. Immo dignus est pati omnia, quæ proximum pati voluit. Hic suam quisque conscientiam conveniat, & si iuste iudicavit, causas & eorum, quæ patitur, & innumerabilium suppliciorum inuenit; neque jam amplius Deum, sed semetipsum accusabit.

C A P V T L X V .

Expositio presentis Ecclesiarum status, ex D. Basilio Casarea Cappadociae Archiepiscopo, re & nomine Magno.

Itulum S. Baslij seruavi, quia satis etiam nostro sæculo congruit. Rem autem ipsam huc apponendam censi, ut appareret, non nos solos tempestate iactari, sed alios quoque olim similes procellas sustinuisse: quod, ut pro exemplo est, ita etiam pro solatio esse potest. Multi enim tempora nostra traducunt, tamquam nimis iniqua, infelicia, calamitosa; quia non considerant vetera vitij deformia, bellis cruenta, elutionibus, siccitatibus, morbis horrida. Hinc clades publicas Ecclesie alij mirantur; aduersis alij nimium dolent; qui scilicet male comparatos habent animos; qui, ut vulgus hominum plerumque solet, sui temporis calamitates maximas esse arbitrantur; non quòd ita sit, sed quia sentiuntur acri dolore: illæ prisca autem iucunda curiositate leguntur. Itaque qui in lege Domini non meditantur, qui in charitate radicati non sunt, qui iustitiam Dei perspectam non habent, cladibus publicis & priuatis irascuntur, Deum hominesque accusant. At quorum animos caelestis magister Spiritus Dei instruxit, non mirantur, quasi insolitum, cuius causa sit in abdito, cum in hæc mala conditos homines norint, cum primordio Mundi numquam defuisse meminerint; cum socios ut culparum, ita etiam pœnarum præcessisse viderint; neque dolent, quia virtutis exercitium agnoscunt. Immo Numini non succensendum, sed gratias agendas profitentur, quia beneuolentiam paternam in flagellatione suspiciunt; persecutionem & dolores, non pacem & voluptates promitti sibi audierunt, cum Christo nomen, corpus, animam dederunt. Audiamus ergo S. Basilium, & presentis Ecclesiarum status expositionem ex illo intelligamus. Ita enim scribit;

I.

Cui